

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUCÆ XV.

IN illo tempore, erant appropinquantes ad Jesum Publicani et peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Scribæ et Pharisæi, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens : Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens. Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et evertit domum, et quærit diligenter, donec inveniat eam? Et cum invenerit, convocat amicas, et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

CONCIONES.

- I. Quare Christus tanto labore quæsierit ovem perditam, hominem videlicet.
- II. Vis et efficacia pœnitentiæ.
- III. Murmurationes dissuadentur.
- IV. Quam detestandi sint detractores.
- V. Quid faciendum inter detrahentes.
- VI. Remedia contra detractionem activam et passivam.
- VII. Efficacia et natura verbi Dei variis similitudinibus exponitur.
- VIII. Multiplex lucerna accensa a Deo, nostris hæreticis.

- IX. Documenta ex evangelio.
- X. Mysteria.

CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Quanta bona conferat homini pœnitentia.
- II. Damna peccatorum venialium.
- III. Quare gaudeant angeli in conversione peccatoris.
- IV. Qua ratione majus sit gaudium in cælo de uno pœnitente, quam de nonaginta novem justis.
- V. Quo fine Deus accenderit in nobis lucernam conscientiæ.

CONCIO I.

QUARE CHRISTUS TANTO LABORE QUÆSIERIT OVEM PERDITAM, HOMINEM VIDELICET.

- I. Ex parte Dei movit eum : 1. Voluntas Patris. 2. Gloria Dei. — II. Ex parte Christi : 1. Homo creatura ejus. 2. Vinculum amoris. — III. Ex parte nostra : 1. Infirmetas nostra. 2. Periculum damnationis læstræ.

THEMA.

Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Luc. XV.

Quamquam cum Pharisæis murmurare non

debemus, quod Christus peccatores recipiat et quærat : dubitare tamen possumus, quamobrem istud faciat. Tametsi enim verum est, quod ait in hodierno evangelio Dominus : *Qui habet centum oves, si perdidit unam, relinquit nonaginta novem et quærit eam*, quam amisit : hoc tamen idcirco fit, quia Dominus ovium utilitatem ex illis quærit, lana earum et lacte indiget. Hæc si ab illis non sperarentur, nemo eas requireret. Jam vero Dei Filius, quando e deserto gloriæ suæ descendit in hunc mundum, ut quæreret ovem perditam, genus scilicet humanum, nulla ovium utilitate ductus ad hoc videtur. Quis enim dare aliquid Deo possit? *Quis prior dedit illi,*

inquit apostolus, *et retribuetur ei?* Rursum : *Quid prodest Deo*, inquit Eliphaz, Job XXII. *si justus fueris?* Denique, Deus vocatur *Schadai*, id est, sufficiens, quia solus sibi sufficit, nec ullo alio indiget. Quid igitur causæ fuit, cur tanta sollicitudine, labore et industria, ipsisque adeo mortis doloribus requireret ovem illam, a qua nihil sperabat, nec sperare aliquid poterat? Sex potissimum causæ movisse Christum videntur, duæ ex parte Dei, duæ ex parte sui, duæ ex parte nostri.

I. Ex parte Dei movit Christum, primo, voluntas Patris, sicut testatur ipse Joan. VI. *Quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Similiter apost. 1. ad Tim. II. ait Deum velle omnes homines salvos fieri, voluntate scilicet antecedente et incompleta, quæ antecedit prævisionem bonorum vel malorum operum hominis, non autem consequente, quæ nostram cooperationem vel sub conditione vel absolute prævisam supponit. Hanc ergo voluntatem Patris sui totis viribus adimplere studuit Christus, et adimplevit exactissime ; ideo tantis conatibus animas quæsit. Quemadmodum enim Eliezer Abrahæ procurator, missus ad quærendam filio sponsam, noluit comedere, donec loqueretur sermones suos et procuraret sponsam Isaaco, Gen. XXIV. ita etiam Christus Dominus missus ad accipiendam sponsam (non alteri, sed sibi) cum invenisset unam, Samaritanam scilicet ad puteum, famis suæ oblitus, noluit comedere ; dicebat enim discipulis panem offerentibus : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus*, Joan. IV. Quod vero ad Ecclesiam totam spectat, noluit assumere dotes corporis gloriosi, nisi post acquisitam sibi, sanguine suo, sponsam.

Secundo, gloria Dei, quam Christus omni modo promoveri studuit. Major autem gloria in Deum redundatura erat ex ove reducta quam neglecta. Primo, quia majus quiddam et mirabilius est, reo parcere et gratiam impertiri, quam pœnas debitas irrogare ; sicuti plus admirationis habet, quod leo parcat prostratis, quam quod ursus sæviat in eosdem. Secundo, quia gratior est gloria, quam capit Deus ex hominum salute, ea quam capit ex eorumdem perditione. Tum quia beati verbo et facto Deum laudant, damnati vero facto tantum, dum scilicet pœnas contempti Dei luunt ; tum quia illi voluntarie et cum delectatione, hi vero invitati et coacti, quis autem non præferat laudem, sponte, quam coacte datam? Tum denique quia damnati ipsi, damnationis suæ causa pri-

maria sunt ; beatitudinis vero, bonorum causa primaria est Deus.

II. Ex parte ipsius Christi, movit eum primo, homo, quia non solum Patris, sed ipsius etiam factura est : *Vocabis me*, ait Job, c. XIV. *et ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram.* Arbusta, quæ Dominus manu sua plantavit ; animalia, quæ quis opera sua educavit ; picturam aut structuram, quam quis magno studio et ingenio fecit, magna cura fovet, nec libenter perdit. At vero Dei Filius hominem manu sua fecit ex maximo artificio : ad hæc multa cura et paterna providentia educavit, et servavit. Ovis perdita ipsius propria erat ; idcirco noluit eam deserere, quod tamen fecit mercenarius, cujus non sunt oves propriæ. Cum pepercisset Deus Ninivitis, doluit hac de re Jonas. Sed erudit eum Deus, excitando super eum hederam, sub cujus umbra quiesceret. Arescente porro hedera, doluit et tristatus est Jonas. Tum Deus : *Tu doles supra hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit, et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dextram et sinistram?* Vult dicere : Tu non fecisti hederam, nec labore tuo fovisti : et doles ejus interitum, eceur velim perire tot animas, quas manu mea feci, et tot beneficiis enutrivisti et exaltavi : et pro quibus adhuc plurimum laboraturus sum et moriturus? Hedera sub una nocte crevit, homines ego per multos annos ad perfectam ætatem provexi : multis etiam annis ad virtutem erudivi, vel adhuc eruditurus sum. Hedera illa, inanis frutex fuit : homo, creatura est, propter quam feci omnes alias. Hedera illa Jonæ exiguum umbræ voluptatem fecit : homo vero servatus, magnam mihi gloriam et beatis in cælo gaudium parit.

Secundo, vinculum, quo sibi obligaturus erat hominem. Ovem illam perditam, donavit ei Pater, ita ut eam laboribus suis compararet, errantem reduceret et sauciam sanaret ; quod indicat Christus loc. cit. *Ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo* : et David, Ps. II. *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Dedit ergo Deus Pater Filio genus humanum, veluti pecuniam perditam, ut eam recuperaret et faceret suam : quam ob causam vocatur drachma perditam : dedit tamquam Æthiopissam sponsam, nigram et deformem, ut eam mundaret et faceret sibi acceptabilem : dedit velut ægrum innumeris morbis et vulneribus affectum, ut ostenderet in eo artem et industriam suam, hoc enim si faceret, fore pecuniam illam suam ; fore ut a sponsa sua intime ametur ; fore ut ab ægro

summis laudibus extollatur in omnem aeternitatem. Sciens ergo Christus, quod sibi comparaturus esset peculium tam charum; acquisiturus sponsam sui tam amantem; devincturus sibi ægrum: magno et alacri animo: *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, ait apost. ad Tit. Nihil laborum detrectavit, nullam non industriam adhibuit, nec ipsam mortem fugit; hinc datum et donatum illi est totum genus humanum, ut sit Dominus et iudex omnium data illi in matrimonium Ecclesia: ad hæc obtinuit sibi laudem et gloriam aeternam apud omnes sanctos, quorum vulnera sanavit, ita ut in omnem aeternitatem ei accinant canticum illud: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem, et omnem creaturam quæ in cælo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, etc.* Apoc. V. Et hoc est illud gaudium, quod excitavit in cælo Christus inter omnes cœlestes de quo in hodierno evangelio.

III. Ex parte nostra. Primo, movit illum infirmitas nostra, quia novit homines plerumque ex passione et ignorantia delinquere, quo modo etiam facile solent errare oves. Unde Isa. LIII. dicitur: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.* Stultissimæ sunt oves, imprimis enim pascua sequentes, facillime aberrant si pastore careant: deinde, una earum præsiliente in aquas vel præcipitium, ceteræ, mox sequuntur; rursus a lupo agitata nesciunt fugere; nesciunt etiam solæ ingredi ad caulam; denique, sequuntur pastorem suum etiam ad macellum. Simili modo homines, si inspectore et rectore careant, facillime delinquant: deinde, aliorum exemplo cito seducuntur: nesciunt redire in domum suam cœlestem, nec redire ad viam salutis, cum ab ea aberrarunt, nisi reducantur; nesciunt fugere lupum tartareum, sed ultro sæpe in ejus dentes incurrunt, et sequuntur suum carnificem ad inferos. Quid enim promittit servis suis dæmon nisi mortem et lanienam sempiternam? Audi Ps. XLVIII. *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos; et tamen eum sequuntur.* Noluit ergo Christus rem tam indignam et miserandam pati, ut lupus et tyrannus iste tam inique grassaretur in oviculas imprudentes et imbelles; sed quemadmodum David pascens oves patris sui, cum vidit a leone vel urso rapit unam de ovibus suis, persequatur eos, et percutiebat eos, eruebatque ovem ex ore eorum, 1. Reg. XVII. ita fecit Christus, cum vidit animam aliquam perverti a seductoribus. Sic erit

in hodierno evangelio peccatores ad se appropinquantes partim ex ore diaboli, partim ex ore obtrectatorum: sic alibi Magdalenam, adulteram, Matthæum, Zacchæum et quoscumque sanavit, aliosque. Rursus, universim eruit genus humanum ex ore leonis et ursi, quando eripuit a morte et inferno. Leo mortis typus est, quia non sævit in prostratum. Ursus vero gehennæ, quia sævit in jacentem, uti et infernus: hinc per prophetam dixit: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.*

Secundo, periculum damnationis nostræ: vidit enim statum in quo ovis illa versabatur, et imminens ei exitium: vidit leonem infernalem ei insidiantem, vidit ejus dentes, vidit fruentiam: vidit ignem illum, vidit ejus ardorem, vidit aeternitatem. Quod si nos, qui sumus mali et duri corde, non possumus aspiciere luculentam cum iudis hominem, quin in aquas insiliamus, et cum periculo etiam nostro periclitanti succurramus, nec sicis intueri oculis homines incendio confluentes: multo magis credendum est motum Dei Filium, ut de cælo ad nos excurreret et veniret opitulatum nobis, qui ad inferos abripiebamur aeternis exurendi flammis. Maximum illud incendium esse judicamus, ad quod extinguendum homines accurrunt et advehunt instrumenta per sex et plura millia. Sed ecce tibi Dei Filium de cælo accurrentem, ut incendium nobis paratum extingueret; proh! quantus ille ignis erit? Hujus rei typum exhibet historia de resuscitato viduæ filio. Cum enim videret Dominus adolescentem illum efferri ad sepulcrum, misericordia motus, tetigit loculum, fecitque stare bajulos, quoad resuscitatum filium redderet matri suæ. Vidit Dei Filius hominem efferri ad sepulcrum inferni ab eorum sceleribus: itaque misericordia motus fecit stare bajulos, fecit cessare scelera, sicque resuscitatum hominem reddidit Patri suo.

Quando intellexit Jonathas, quod definitum esset a patre suo ut interficeretur David, contristatus vehementer, omnem movit lapidem, ut hoc Davidi indicaret, sicque eum e patris sui manibus liberaret, quia diligebat eum, 1. Reg. XX. Eundem in modum, quia intellexit Dei Filius, definitum fuisse a Patre, ut omnes peccatores aeterna plecterentur morte, ideo nostri misertus, animum adiecit ut nos liberaret ab ira Patris in nos decreta: hinc ait per Jerem. c. XXXI. *Dilexi te, ideo attraxi te miserans*

Ceterum si hæc causæ sunt, quæ moverunt Christum Dominum, ut quæreret nos perditos, eadem nos et multo magis movere debent, ut quærenti occurramus, siquidem hæc causæ æque vel magis urgent ex parte nostra. Nam

primo, si Deus nos vult salvos fieri, multo magis debemus velle nos: secundo, si in gloriam Dei cedit salus nostra potius quam damnatio, utique cedit etiam ad gloriam nostram: tertio, si nos Christus quærît, quia nos ipse fecit, hoc ipso nos ad Christum accurrere debemus, quia ipsius figmentum sumus: quarto, si gaudium capit e nostra reductione Christus, multo magis nos, qui reducti sumus: quinto, si stulte oves sumus, cur non sequimur ductorem? Denique, si in periculo damnationis versamur, cur non fugimus a gehenna? Dicamus ergo cum Davide: *Erravi sicut ovis, quæ perit, quære servum tuum.*

CONCIO II.

VIS ET EFFICACIA PŒNITENTIE.

I. Peccata delet. — II. Restituit primam gratiam. — III. Restituit bona opera mortificata. — IV. Conscientiam parit tranquillam. — V. Restituit existimationem. — VI. Mutat Dei decretum. — VII. Mutat hominem in virum alterum. — VIII. Proximum ædificat. — IX. Cælo infert vim.

THEMA.

Erant appropinquantes ei Publicani et peccatores. Luc. XV.

Felices Publicani, felices peccatores, qui Christo appropinquant! Merentur enim hoc pacto, uti etiam ipsis Christus appropinquet, quemadmodum testatur S. Jacobus, cap. IV. cum ait: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Sed qua ratione, dicit aliquis appropinquare Deo possumus? Subdit hoc immediate Jacobus: *Emundate manus peccatores, inquit, et purificate corda, duplices animo. Miseri estote (Græce, affligite vos) et lugete et plorate: risus vester in luctum convertatur et gaudium in mœrorem.* Quod quid aliud est, quam si dixisset: Pœnitentiam agite, excutite peccata e manibus et cordibus vestris? Hac ratione accessit ad Christum Magdalena: et procul dubio etiam Publicani et peccatores, de quibus in hodierno evangelio. Nos ergo horum exemplo ut Christo appropinquemus per pœnitentiam, videamus quanta pœnitentiæ sit vis et efficacia.

Quantæ efficacitæ sit pœnitentia, discimus ex parabola de filio prodigo, quam duabus illis de pastore et muliere mox subiecit Dominus. Ait enim filium illum in se et ad patrem denique reversum, osculo paterno exceptum esse; quod indicat peccatorem per pœnitentiam Deo reconciliari, dimissis omnibus peccatis: ait filium stola prima indutum: et hæc est prima gratia, justificans et exornans animam peccatoris: ait annulum in manu ejus datum; et hic indicat principium actionum bonarum, quibus cœlum

promereri justificatus potest, necnon resurrectionem meritorum prius mortificatorum per peccatum: ait convivium ei instructum fuisse; et hoc indicavit pacem et tranquillitatem conscientie, quia: *Secura mens quasi iuge convivium.* Proverb. XV. Ait calceamenta pedibus ejus inducta; et hæc notant famam bonam: calceati enim liberi et ingenui, nudipedes olim servi erant: ait patrem cecidisse super collum ejus; et hoc significat Deum mutare decretum suum in justificato: ait occisum illi esse vitulum, quia per pœnitentiam occiditur quodammodo peccator, et gignitur inde justus: ait institutam illi fuisse symphoniam, quia pœnitens recreat et ædificat etiam proximos.

I. Ergo peccata delet et dissolvit, juxta verbum Christi: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Estque tantæ efficacitatis, ut peccata prorsus extinguat, nec ea reviviscere vel redire sinat, etiamsi quis rursus ea perpetret, (tametsi talis gravius peccat.) *Dona enim Dei sine pœnitentia sunt*, inquit apostolus ad Roman. XII. unde Mich. VII. dicitur: *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Lapis in profundum maris jactus, non emergit amplius: ita nec peccata semel in Christi sanguine mersa per pœnitentiam. Et quemadmodum Moyses populi Israel dixit de Pharaonis exercitu jamjam mergendo in mari rubro: *Egyptios quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum*, Exod. XIV. quia scilicet omnes suffocandi erant: ita etiam peccata in sanguine Christi penitus suffocantur, ut nunquam redeant amplius. Quinetiam e memoria Dei deleri ea per pœnitentiam asserit ipse per Ezechielem, capit. XVIII. *Si impius egerit pœnitentiam, inquit, omnium iniquitatum ejus, non recordabor amplius, quasi infensus videlicet et hostis.* In cujus rei confirmationem non legimus Christum post resurrectionem suam objecisse Petro quod ab eo negatus; nec apostolis, quod ab eis derelictus esset; sed hæc illorum peccata, utpote per pœnitentiam jam deleta, altissimo silentio sepelivit, quia ut ait Euthymius ea de re Matthæi XXVIII. in fine: *Non meminit Dominus malorum, eorum qui respiscunt.* Denique, non unum tantum aut alterum, sed omnia simul peccata delet pœnitentia. Et quemadmodum omnes Egyptii submersi fuerunt, ita ut: *Nec unus quidem superverit ex eis*, ita omnia peccata lethalia delentur per pœnitentiam, nec solum ea, quæ quis confitetur, sed etiam ea, quæ vel ex ignorantia vel oblivione aliave causa inculpabili omittit: Dei enim dona et judicia perfecta sunt et integra.

II. Restituit homini primam gratiam et vitam animæ spiritualem, pristinamque sanitatem et pulchritudinem, dona ac virtutes supernatura-

les in baptismo acceptas. Ut enim in Jordane lavanti Naamani omnis lepra abstersa est, et caro ejus restituta: *Sicut caro pueri parvuli* (IV. Reg. V.) ita pœnitenti restituitur anima ea puritate, quæ similis vel æquivalens sit innocentie. Scimus Magdalenam post pœnitentiam præ cæteris a Christo dilectam: Petrum ad summam Ecclesie dignitatem evectum esse, et plus aliis dilectum, adeoque multo plus pœnitentiam acquisisse, quam peccando amiserat. Narrat Palladius, in hist. Lausiaca, c. CXL. virginem quamdam lapsam post pœnitentiam, qua per triginta annos mancipavit se obsequio ægrorum, plus Deo placuisse, quam placuerit in virginitate; sane Nabuchodonosor post pœnitentiam de peccatis actam, sibi restitutus est, et agnovit ac glorificavit Deum verum, quem prius non agnoverat: et probabile est eum ita obiisse et salvatum esse.

Multi laboraverunt ut invenirent lapidem philosophicum, cujus contactu omnia mutarentur in aurum; sed nondum is lapis inventus est. Pœnitentia talis est, per quam anima prius mortua, fit viva; horrida, fit pulcherrima; opera ejus moralia prius ærea, postea fiunt, aurea et meritoria vite æternæ, ita ut aquæ frigidæ potus porrectus sitiienti mercedem in cælo habeat.

III. Restituit etiam bona opera per peccatum mortificata, eorumque merita et jura ad coronas gloriæ prius promeritas. Renovat enim spirituale conjugium Spiritus sancti cum anima, ac proinde restituit animæ velut sponsæ monilia, quæ prius ei donaverat Deus. Novit bene Pater noster cœlestis se deponere gratiæ suæ thesauros in vasis fictilibus, quæ facillime franguntur, foreque servis suis magnam afflictionem, si omnis eorum labor præteritus, inanis foret: itaque vase per pœnitentiam reparato, illico infundit eis rursus thesaurum, prius habitum. Hoc promisit eis (sensu mystico) per Joëlem, cap. II. cum ait: *Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus et rubigo et eruca. Quis nescit, quanta damna inferant locustæ, bruchi, rubigo et eruca frugibus et hortis? Sane a locustis Ægyptiacis: Devorata est herba terræ et quicquid pomorum in arboribus fuit, nihilque omnino virens relictum est in lignis et herbis in cuncta Ægypto*, Exod. X. Eodem modo peccatum mortale in momento depascit animam, quantumvis omni virtutum splendore decoratam: *Si averterit se justus a justitia sua, inquit Deus, Ezech. XVIII. et fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. At vero pœnitentia reparat totum id, quod peccatum devoravit.

IV. Conscientiam parit tranquillam et sere-

nam, omni convivio jucundiolem. Quæmadmodum enim aer nubibus densus et obscuratus, postquam eas per imbrem exoneravit, serenatur: ita animus noster peccatorum tenebris obduetus, ubi per pœnitentiam ea abjecit et in aures confessarii effudit, sit tranquillus, lætus et amœnus. Testatur hoc Job, c. XI. dicens: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula* (hoc est, hilaris et serenus absque confusione apparebis coram Deo), *et eris stabilis et non timebis. miseriam quoque oblivisceris et quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis: et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer*. Quibus omnibus describit lætitiâ hominis, qui per pœnitentiam expedit se a peccatorum laqueis: quando arca e captivitate Philisthæa recepta et reducta fuit Cariathiarim: *Requievit omnis domus Israel post Dominum*, I. Reg. VII. hoc est, magna in quiete et tranquillitate vixit. Ita cum quis ereptus de captivitate dæmonis recuperavit Dei gratiam, quomodo non sereno et pacato esse animo potest? Sane ubi bonus lætus audit: *Hodie mecum eris in paradiso*, huic verbo acquievit, nec quidquam aliud petiit, non dolorum relaxationem, non mortis accelerationem, non vindictam in Judæos. Et quis explicare queat, quanto cum animi gaudio, quanta cum æquanimitate reliquum vitæ in cruce exegerit? Quantum gaudiorum flumen obruerit cor ejus, cum audiit vocem illam Christi? Clodovæus Francorum rex de gravi peccato, quod confiteri erubuerat, a B. Eleuthero redargutus, profusis lacrymis id fassus, Eleutherium obsecravit ut sacrificium pro se offerret. Inter sacra tota Ecclesia collucente adfuit angelus qui preces exauditas et peccatum remissum nuntiavit. Unde rex Ecclesiam et Eleutherium multis affecit muneribus, lætusque ad interiora regni se recepit, ut habetur in archivis et officio Ecclesie cathedr. Tornacensis. Hunc in modum is, qui prius conscientiam suam præ horrore peccatorum vix inspicere potuit, postea absolutus cum omni jucunditate descendit in recessum cordis sui.

V. Restituit etiam famam, quam peccata abstulerant, Quæmadmodum enim arbor ex aliqua stipitis parte læsa, medela adhibita, iterum calum et corticem vulneri obducit, ut nihil læsionis appareat: ita pœnitentia seria et correctio morum corrigit priorem infamiam et restituit honorem lapsi. Patet in Davide, Magdalena, Matthæo, Zacchæo, Petro, Paulo, aliisque, quorum pœnitentiam et sanctitatem solummodo loquimur, non peccata, quæ vita posteriore deleverunt.

In hujus rei indicium nuditatem primorum parentum textit et correxit Deus tunicis pelliceis, postquam ipsi in signum pœnitentiæ tegere se studuerunt foliis ficuum asperis et carnem stimulantibus (quod sentit Irenæus, I. III. c. XXXVII. eo quod relictis aliis foliis, quæ minus carnem vexare poterant, ficulnea elegerint) quasi facto cilicio. Quare si peccator studeat per pœnitentiam punire sua scelera, aderit mox Deus, et vestiet illum honore et bona existimatione, ut ita inter homines rursus apparere possit. Atque hæc sunt calceamenta filii illius prodigi, quibus non jam velut servus, sed ut liber et ingenuus ingreditur.

VI. Mutat decretum Dei, teste Jerem. cap. XVIII. dicentis in persona Dei: *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei*. Probavit hoc in Ninivitis, qui cum ad Jonæ prædicationem confugerent ad pœnitentiam et punirent semetipsos jejuniis: *Misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis; et non fecit*, Jonæ III. Hebr. *pœnituit eum super malo, quod illis inferre decreverat*. Ecce pœnitentia Ninivitarum flagellum Deo extorsit et decretum ejus mutavit. Hinc Tertullianus, I. de pœnitentia, dixit: *In quantum non peperceris tibi, in tantum crede, Deus tibi parcat*. Quare pœnitentia recte vocatur civitas refugii a S. Gregorio, I. X. moral. c. V. siquidem peccator ad eam confugiens, a morte et vindicta Dei immunis est.

Ad hæc Deum sibi rursus benevolam reddit, uti expertus est Henricus II. Angliæ rex qui necis S. Thomæ Cantuariensis reus, cum publicam egisset pœnitentiam, plura insperato mox a Deo beneficia recepit. « Imprimis enim sequente die (post pœnitentiam nudis pedibus peractam) cum rex, inquit Herobertus, apud Baron. anno 1174. maculatis sic pedibus ut venerat, needum refocillatus audiret ante sepulcrum martyris missam de martyre, eadem ipsa hora rex Scotorum vehementissimus ipsius impugnator, fortuito quodam casu ab exercitu suo parum deflexus, a militibus quibusdam paucis et mediæ manus hominibus, qui inter paucos prædicto regi Angliæ favebant, interceptus est, et sine pugna et plaga captus. Deinde, non longa mora, et cismarini et transmarini rebelles, in regnum quod domino suo tetenderant, ceciderunt. Videntesque alii tam subito eum eo manum Dei valentiam, siluerunt universi, et factum est in pace regnum ejus; qui hæc tanta, eo plus miraculosa, quo tam cita, cuncta adscripsit Domino, et glorioso martyri Thomæ, cui certissime erant adscribenda. »

VII. Mutat hominem in virum alterum, ex

carnali in spiritualem, ex bestia in hominem. Cujus rei typus et exemplum fuit Nabuchodonosor, qui ob peccata sua ab hominibus ejectus est, et in silvis inter bestias degens reptabat, herbas comedebat et mugiebat; postea sibi restitutus et in se rediens ac pœnitens, pristinam etiam hominis speciem et regis dignitatem est consecutus, Dan. IV. Ita pœnitentia vera et seria exuit hominem bestialibus moribus, et induit humanis. Isæus sophista Assyrius cum primam ætatem dicasset voluptatibus, simul ut ad virilem pervenit, veluti alius subito factus miram induit morum severitatem. Percontanti enim cuidam, num illa (femur ostendens) videretur ei formosa, respondit ille: *Desit laborare ab oculis*. Ab altero interrogatus, quis piscis aut quæ avis esset ad vescendum suavissimam, respondit: *Ista curare desii*, Philostratus, in sophistis. Hunc in modum qui a peccatis vere resipuit, respondet omnibus illecebris: *Desii hæc curare, desii hæc amare, etc.*

VIII. Proximum etiam ædificat. In lege veteri, quidquid tangebatur carnes hostiæ pro peccato, sanctificabatur, Levit. VI. ad indicandum: *Quia pœnitentium gemitus imitantem emundant*, inquit Radulphus. S. Macarius Theopemptum verecundantem confiteri sua peccata ei confitendo, ad confessionem impulit atque a blasphemie tentatione et diabolo liberavit. Idem fecit S. Ignatius Loiola: nam Parisiis confitendo peccata juventutis suæ cuidam sacerdoti impuro, magna contritione multisque lacrymis, eum pariter ad lacrymas et confessionem impulit. De Maria Magdalena concionem inchoans S. Gregorius, homil. XXXIII. in evang. ait: « Cogitanti mihi de Mariæ Magdalene pœnitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere. Cujus enim vel saxum pectus illæ hujus peccatrici lacrymæ, ad exemplum pœnitendi non emolliant? »

IX. Denique, pœnitentia regno cœlorum vim infert; idque cum violentia rapit, quod etiam in lege veteri adumbratum est, dum semel quotannis in die expiationis, quo populus se jejuniis et pœnitentia macerabat, summus pontifex ingrediebatur in Sancta sanctorum, ad Hebr. IX. et Levit. XVI. Qua re indicatum per pœnitentiam aperiri viam ad ingressum cœli. Quando ergo pœnitentia, auditores, tam fortis aries est ut perfringere portas cœli, quantumvis obseratas, queat, apprehendamus hunc arietem, eoque effringamus cælum. Grata est hæc vis Deo nobisque salutaris.

CONCIO III.

MURMURATIONES DISSUADUNTUR

I. Murmur contra proximos: 1. Ex philautia. 2. Ex